



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Thurificatio seu Benedictio domorum, in Vigilia Nativitatis, Profesto  
Circumcisionis, & Vigilia Epiphaniæ Domini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

infirmirate, atque cunctis insidiis inimici, liberentur, & cunctæ aduersitates separentur à plasmate tuo, quod pretioso Sanguine Filii tui redemisti: ut numquam lædatur à morfu Serpentis antiqui. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Aspergat Oleum aquâ benedictâ.*

Benedictiones, Cærimonie & Ritus,  
certis & statutis Anni temporibus,  
ex antiqua consuetudine,  
observandi.

*Thurificatio Domorum in Vigilia Natiuitatis,  
Profesto Circumcisionis, & Vigilia  
Epiphaniæ Domini.*

**P**ost Vesperas, Sacerdos, habens secum ministros, portantes naviculam cum thure & vas cum aquâ benedictâ, sumptis superpelliceo & stolâ albi coloris, ponit incensum in thuribulum, benedicens illud, more juxta Missale consueto: & circumeundo lente ac graviter potiora & magis præcipua domus loca & cubicula, thurificat ea, & aquâ benedictâ aspergit, dicens distincte, quæ infra ponuntur. Quod si duo aderunt Sacerdotes, unus incensabit, alter asperget, sequentia alternis versibus recitando.

*In Vigilia Natiuitatis Domini.*

*Antiphona.* Hodie scietis, quia veniet Dominus; & mane videbitis gloriam ejus.

*Psalm.*



*Psalm. 50. Miserere mei Deus, &c. ut supra. &c.* Pag. 150.  
*Canticum Magnificat, &c. ut supra. In fine utri-* Pag. 245.  
*usque, Gloria Patri, &c. Quibus Psalmis finitis,*  
*repetitur Antiphona: Hodie scietis, &c. Deinde*  
*subjungitur Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et*  
*cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**Eus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da quæsumus, ut, cujus lucis mysteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudiis in cælo perfruamur. Per eundem Dominum nostrum &c. *Vers. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. Resp. Amen.*

*In Profesto Circumcisionis Domini.*

*Antiph. Ecce, Maria genuit nobis Salvatorem; quem Ioannes videns, exclamavit, dicens: Ecce, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluja. Psalm. Miserere mei Deus, &c. cum Cantic. Magnificat &c. ut supra. Quibus finitis, repetitur Antiph. Ecce, Maria &c. & subjungitur Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

**D**Eus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi

B b b

præmia



præmia præstitisti , tribue quæsumus , ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus , per quam meruimus autorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum , qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, &c. *Vers.* Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Resp.* Amen.

*In Vigilia Epiphaniæ Domini.*

*Antiph.* Apertis thesauris suis , obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham, alleluja. *Psalm.* Miserere, &c. Magnificat , &c. *ut supra.* Repetitur deinde *Antiphona* : Apertis thesauris, &c. & dicitur *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**Eus, qui hodierna die Unigenitum tuum Gentibus , stella duce, revelasti : concede propitius, ut, qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen. *Vers.* Divinum auxilium maneat semper nobiscum. *Resp.* Amen.

*Bene-*